


05

A

2460



E



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-583851-p0002-2

DFG

VIII  
S

PRÆCOGNITORUM THEO.  
LOGICORUM

DISPUTATIO VIII.

De

THEOLOGIÆ  
APPELLATIONIBUS,  
SPECIEBUS, GENERE, CAU-  
SIS, & DEFINITIONE.

Quam

Deo feliciter annuente

SUB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI,

S. S. Theol. D. & Prof. Publ.

Ad placidam σογήνησιν

Proponit

M. JACOBUS STOLTERFOHT

LUBECENSIS.

Habebitur in Auditorio Minoris

Die 22 Maii, Horis pomeridianis.

---

Wittenberga, Typis Johannis Gormanii,  
anno M DC XXV.





05 A 2460

Suū Geō

## DISPUTATIO VIII.



Portet prius vocis ipsius usum cognoscere, à quo sāpe numero provebimur in rei perceptionem, non minus scitè, quād verè dicit subtilissimus Scaliger Exercit. I. s. i. quod dum in memoriam nobis revocamus, non possumus, quin in vestibulo hujus Disputationis, quæ Theologiae Species, Genus, Caussas, & Definitionem breviter proponet, paucis agamus de Etymologiâ, Homonymiâ, & Synonymiâ Theologiae, quippe cùm harum ignorantia confusionem pariat maximam, ex adverso autem notitia lumen sequentibus addat clarissimum, quo melius in iis progredi, & facilius ista percipere queamus. Nam si rei vocabulum quis non intelligat, quîrem ipsam intelligere poterit? Ad propositum itaq; nostrum absq; ulteriori Prae loquio cum DEO nos accingimus.

### THEOREMA I.

THEOLOGIA vox græca est origine, usurpatur tamen à Latinis & Germanis, ut aliae dictiones plurime.

Descendit hæc vox à verbo θεολογεῖν, & componitur ex duobus nominibus θεός & λόγος, ut sit idem quod θεὸς λόγος, hoc est, sermo Dei, vel sermo de Deo. Græcis autem vocibus nobis plerumque in disciplinarum definitis utendum est; Latini enim aptis vocabulis destituuntur, & definita illa circumloqui ac circumscribere coguntur. Cumq; & hīc aptum aliquod Latinum vocabulum non habeamus, quo sacram hanc disciplinam indigitare queamus, ideo Græco nobis utendum est. Ex-

primitur verò voce hac ipsum Theologiæ objectum, seu subjectum circa quod occupatur, quod est Deus; quemadmodum  $\chi\alpha\mu\mu\alpha\pi\eta$ ,  $\lambda\omega\gamma\eta\eta$ ,  $\rho\eta\zeta\eta\eta$ , & reliquæ pleræque disciplinæ à subjectis occupantibus nomina sua etiam sortiuntur.  $\epsilon\nu\tau\lambda\alpha\tau\epsilon$  tamè vocabulum  $\theta\epsilon\gamma$  hīc accipiendum est, ita ut  $\theta\epsilon\delta\varsigma\eta\eta$  τὰ τὰ  $\theta\epsilon\gamma$  vel  $\theta\epsilon\eta\alpha$ , sive Dei essentia, & omnia divinitus patefacta mysteria sub eo comprehendantur. Quod innuere voluerunt Scholastici, quando Deum in recto & obliquo casu Theologiæ objectum esse dixerunt. Quo spectat etiam illud Augustini lib. 8. de Civ. Dei cap. 1. Verbo Theologiæ græco significari intelligamus de divinitate rationem seu sermonem. Ab hac voce denominatur  $\theta\epsilon\omega\lambda\gamma\Theta$ , id est, qui rerum divinarum notitiam habet.

## THEOREMA II.

*Vocis hujus Etymon 4. λόγος nobis in memoriam redocat, qui veluti cardines sunt & fundamenta sacrae discipline.*

1.  $\lambda\omega\gamma\Theta$  est Internus  $\lambda\omega\gamma\Theta$   $\theta\epsilon\gamma$  seu aeterna Dei ratio, qua seipsum plenissimè intelligit. 2. Est Externus  $\lambda\omega\gamma\Theta$   $\theta\epsilon\gamma$ , quo se se, & sua nobis patefecit. 3. Est noster Internus  $\lambda\omega\gamma\Theta$   $\omega\theta\eta\theta\epsilon\gamma$ , quem ex verbo haurimus & mente concipimus. 4. Est noster Externus  $\lambda\omega\gamma\Theta$   $\omega\theta\eta\theta\epsilon\gamma$ , id est, sancta de Deo rebusq; divinis doctrina, quæ in scholis traditur, & partim vivâ voce, partim in scriptis communicatur aliis. Quatuor ista se invicem consequuntur, ut posterius semper præsupponat prius, & ab hoc dependeat: Nam 1. Deus seipsum cognoscit, 2. post notitiam suam per verbum revelat, 3. ex revelato Dei verbo veram Dei γνῶσιν haurimus, & 4. haustam postmodum methodicè docemus & propo-nimus, quod sacrū de Deo eloquium, & sistema articulorum in scholis uno nomine vocatur Theologia. Profuit hæc τὰ  $\lambda\omega\gamma\gamma$  distinctio ex usitatâ illâ & Philosopho quoque usurpatâ  $\lambda\omega\gamma\gamma$  distinctione, qua aliis dicitur  $\lambda\omega\gamma\Theta$   $\epsilon\eta\delta\alpha\theta\epsilon\tau\Theta$  vel  $\epsilon\nu\tau\lambda\alpha\tau\epsilon$  τὴν  $\psi\omega\chi\eta\eta$ , aliis  $\omega\eta\varphi\omega\rho\eta\kappa\eta\varsigma$  sive  $\omega\epsilon\eta\zeta\omega$ , uterque  $\lambda\omega\gamma\Theta$  hīc nobis cōsideratur dupliciter, 1. respectu Dei, 2. respectu nostri: respectu Dei  $\lambda\omega\gamma\Theta$   $\epsilon\eta\delta\alpha\theta\epsilon\tau\Theta$  consideratus primum; respectu nostri, tertium  $\lambda\omega\gamma\eta\eta$  constituit:  $\lambda\omega\gamma\Theta$  autem  $\omega\eta\varphi\omega\rho\eta\kappa\eta\varsigma$  respectu Dei, secundum; respectu

respectu nostri quartum λόγον facit. Quando autem λόγον pri-  
mum dicimus esse aeternam Dei rationem, qua seipsum plenissi-  
mè intelligit, tum vocabulum τὸν λόγον non ἔτεστι, sed po-  
tius γνωθός acceptum volumus: perfectè enim se invicem intel-  
ligere ac cognoscere omnibus tribus divinitatis personis est com-  
mune, unde & de Patre dicitur, quod agnoscat Filium Matth. 11.  
v. 27. de Filio, quod cognoscat Patrem, ibidem, uti & Ioh. 8. v. 55.  
de Spiritu S. quod profunditates Dei scrutetur 1. Cor. 2. v. 10. τὸν λό-  
γον a. quando vocabulū τὸν λόγον accipitur, tum ad illam divi-  
nitatis personam restringitur, quæ σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἡ  
μήν Ioh. 1. v. 14. quæ ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ 1. Tim. 3. v. 6. Rectè tamen  
λόγος hic ἔτεστι etiā dicitur λόγος ἀληθεία & ὁρά-  
Φορικός aeterni Patris; ἐν ἀληθείᾳ respectu aeternæ generatio-  
nis, unde & aeterna Patris ratio & sapientia vocatur Prov. 8. v. 12.  
1. Cor. 1. v. 24. ὁράΦορικός respectu prædicationis & voluntatis divi-  
næ revelationis, siquidem Deum nemo vidit unquam, Filius, qui in si-  
nu Patris est, ipse enarravit Ioh. 1. 18. qua de re plenius possunt vide-  
ri Excellentiss. Dn. Præsidij Medit. in Evangelia Festorum p. 51. seqq. & Dn.  
D. Gerhard. Tom. 1. L. C. p. 569. Patet itaque hinc, quomodo voca-  
bulum Theologiæ & conceptum vel notitiam mentis, & simul  
sermonem, vel doctrinam de rebus divinis denotet; sed tamen,  
sicuti per λόγον indefinite possumus ἀληθείαν πεπτωτας, ὁράΦορι-  
κός δοκτέρως intelligitur, siquidem hic illum præsupponit; ita  
etiam hic conceptus & notitia mentis primariò, sermo & doctri-  
na secundariò per Theologiam notatur.

### THEOREMA III.

Vox Theologiae est ex τῷ πολλαχῷ λεγούμενῳ: nobis au-  
tem hic propriè, & in sua latitudine significat notitiam & do-  
ctrinam omnium Dei misteriorum, quæ nobis in verbo suo  
revelavit.

Tam apud profanos, quam apud sacros Scriptores vox hæc  
reperitur. Meminit ejus Plato lib. 2. Polit. meminit Aristoteles  
lib. 10. Metaphys. cap. 6. meminit Cicero, lib. 3. de Nat. Deor. &  
vetustissimos Poetas, ac rerum divinarum tractatores olim.  
Theologos esse nuncupatos authore est August. lib. 18. de C. Dei.

cap. 14. Apud Ecclesiasticos scriptores vox θεολογίας sumitur  
in θεολογίᾳ, pro ὅνι circa res sacras occupata tractatione; & eidem  
pro vera & ex scripturis tantum hausta rerū divinarum scientia;  
prior falsam & fabulosam etiam gentilium Theologiam, aut re-  
ctius matæologiam, posterior tantum veram Christianorum  
Theologiam exprimit; quæ rursus 2. sumitur in genere pro fide,  
seu notitiâ fidei, omnibus Christianis necessariâ; & in specie pro  
rerum divinarum sufficiente tractatione & explicatione: à prio-  
ri significatione omnes Christiani, quibus noti sunt fidei nostræ  
articuli, possunt vocari Theologi; à posteriori autem non nisi  
docti Ecclesiæ ministri systematicam & accuratam mysteriorum  
divinorum cognitionem habentes. 3. Sumitur vox Theologiæ vel  
strictè, pro scientiâ solius articuli de Deo, unde Athanasio ver-  
bum θεολογίαν est idem quod confiteri, seu asserere Deum; vel  
propriè, & in suâ latitudine, pro notitiâ, non Dei tantum, sed o-  
mnium quoque mysteriorum, quæ ad salutem scitu sunt necessa-  
ria, quo sensu Johannes Apostolus in principio Apocalypseos  
Theologus vocatur. 4. Tandem voce Theologiæ denotatur vel  
scientia, quæ in mente habetur; vel doctrina, quæ discitnt & do-  
cetur; priori modo est habitus, posteriori systema, in quo fidei  
articuli aptè connectuntur & explicantur. Notandum hic cir-  
ca Homonymiam & significationem vocis Theologiæ, quod  
Sohnius Tom. i. pag. 66. & 93. itemque Junius c. i. de Theologiâ mi-  
nus rectè asserant, Theologiam vi Etymi notare sermonem vel  
verbum ipsius Dei, adeoque duo illa esse æquipollentia; nam ita  
confunditur Scriptura & Theologia, inter quæ tamen perspicu-  
um discrimen est, siquidem tanquam principium & principia-  
rum, tanquam causa & effectus differunt.

#### THEOREMA IV.

Synonymiam Theologie quod attinet, dantur quadam  
eius Synonyma, ut est habitus; quadam, ut est Systema.

Synonyma Theologiæ, ut est habitus, sunt vel Biblica, ut  
sapientia Dei I. Cor. 2. v. 6. Agnitio veritatis Iit. I. v. 1. Sapientia cœ-  
lestis Iac. 3. v. 15. vel Ecclesiastica, ut θεολογία, θεοτεοία, θεολο-  
γίαν θεοτεοίαν: vel Rabbinica, ut Sapientia veritatis, divinitatis, &c.  
Syno-

Synonyma Theologiæ, ut est Systema, rursus sunt, vel Biblica, ut doctrina Christi Job 7.v.16. doctrina sana Tit. 2.v.1: vel Ecclesiastica; ut Sacrosancta disciplina, Catechesis, Loci Communes, Syntagmata, Systemata Theologica, & similia. Hoc modo Synonyma Theologiæ distinguenda sunt, cum duplii modo, ut jam antè dictum, eam consideremus, περιττες ut est in mente, & διατετραγως, ut est in libro. Sic igitur præmissâ ipsius appellatio-nis explicatione ad rem ipsam modò proprius accessum facimus.

### THEOREMA V.

Theologia ex numero illorum est, quæ dicuntur & φ' ἐνοց  
περιττες ἐν communia ab uno ad unum, seu analogæ: licet igitur  
nullas sub se habeat species univocæ, habet tamen quasdam  
analogicas, ratione quarum in genere dici potest notitia, vel in  
specie sapientiarum divinarum.

Genus Analogum dicitur id, quod quasi medium inter æquivocum & univocum genus locum obtinet, & principaliter de unâ, secundariò de alterâ specie dicitur, quemadmodum Ens de Substantiâ & Accidente dicitur, de illa autem primariò, de hoc secundariò.

### THEOREMA VI.

Theologia communiter considerata dividitur ratione  
subjectorum in Archetypam & Ectypam.

Archetypa est in genere notitia, vel in specie sapientia rerum divinarum prima, infinita, æterna, ipsiꝝ Deo essentialis, à qua omnis alia θεογνωσία dependet, ut typus ab antitypo figura ab exemplari, qua etiam de caussâ dicitur δεχέτων. Ectypa est cœlestis & infinitæ θεογνωσίæ imago aliqua creaturis impressa; vel est notitia rerum divinarum secundum Archetypam cum creaturis aliqualiter communicatam. Ut enim ex mari in mare omnia fluunt. Eccl. I. v. 7. Syr. 41. v. II. sic omnia à Deo proveniunt de Deo dicenda, & ad Deum sunt iterum dirigenda. Ex hoc inexhausto sapientiae fonte quidam rivuli quasi ad nos derivantur, siquidem homo non potest recipere quicquam, nisi fuerit ipsi datum è cælo Job. 3. v. 27. Nil de Deo rebusque divinis

scire

scire possemus, nisi Deus ex merâ gratiâ sui notitiam nobiscum communicasset. Archetypam autem hanc Theologiam nostrum non est ut scrupulosè investigemus, sed potius devotè adoremus: Ecce typa tamen hic nostræ considerationi subjicienda est.

### THEOREMA VII.

*Ecce typa Theologia alia est in Christo, alia in Angelis, alia in Diabolis, alia in Beatis, tandemq; alia in hominibus terram incolentibus.*

Impressit quidem Deus aliquam *Geognosias*, imaginem creaturis, at non in indifferenter omnibus: dantur enim creaturæ rationales & irrationales, non his, sed illis notitiam hanc communicavit Deus. Rationales autem Dei creaturæ rursum sunt duplices, spirituales, aut Angeli boni & mali, & corporales, ut homines: utrisq; Deus se certo modo & ratione revelat.

### THEOREMA VIII.

*In Christo præter Theologiam Archetypam, quam habet ut Deus per naturam, ut homo per communicationis personæ lis gratiam, datur & Geographia finita, Connata nimirum & Acquisita.*

Εμφυτό vel naturalis Christi notitia est, per quam intellegit generalia principia & impressam de Deo cognitionem habet, Σπίκτητο partim excellenter infusa est per Spiritum S. partim collecta per discursum, unde Experimentalis dicitur: partim intuitiva est in cælis, siquidem Christus secundum humanitatem suam perfectè intuetur Patrem, eumq; videt de facie ad faciem. Et hanc connatam & acquisitam Dei notitiam non possumus non ipsi adscribere, si modò vera esse debet illa, quæ de Christo Ebr.2.v.17. exstat sententia ( uti indubitanter nobis vera est ) quod debuerit per omnia fratribus similis fieri, quippe cùm etiam expressum Evangelistæ Lucæ habeamus testimonium, qui c.2. v. ult. Jesum sapientiâ creuisse asserit, id quod non nisi de sapientiâ ipsius finitâ dici potest, cùm infinita nullam diminutionem aut augmentationem admittat.

THEO-



## THEOREMA IX.

*In Angelis datur Ieōoū Qīa 1. Concreata. 2. Intuitiva. 3 Re-  
velata. 4. Experimentalis.*

Concreatam Deus ipsis indidit in creatione. Intuitivā faciem Dei in cælis semper intuentur, adeoq; intuendo agnoscunt, Matth. 18. v. 10. Revelata comprehendit γνῶσιν historiarum de salute & redemtione generis humani , partim à Deo immediatē communicatam , partim mediatē ex scripturis haustam. Experimentalem habet ex iis, quæ fiunt in hoc mundo ab hominibus, præsertim in Ecclesiā, unde, quænam sit Dei voluntas, intelligunt. Est autem Ieōoū Qīa illa æque in ipsis accidens, ac in hominibus, & non ipsa essentia : Deus enim tantum omni caret accidente, siquidem est Ens simplicissimum , & ab omni compositione alienum , quod de Angelis affirmari non potest. Sapientes proinde quidem sunt 2. Sam. 14. v. 20. sed non omnisci, id quod solius Dei proprium est 1. Reg. 8. v. 39. qui propterea etiam solus sapiens dicitur, Rom. 16. v. 27. 1. Tim. 1. v. 17. Et licet Deum quidem intueantur, non tamen propterea in Deo omnia intuentur, alias etiam beati in cælo essent omnisci ( sic Pontificii haberent, quo suum de invocatione sanctorum dogma stabilirent ) qui etiam Deum à facie ad faciem vident 1. Cor. 13. v. 12. sicuti est 1. Ioh. 3. v. 3. Sed tantum in Deo vident ac cognoscunt, quantum Dei voluntas permittit, ipsisq; ad gloriam cælestem utile ac proficuum est.

## THEOREMA X.

*In Diabolis datur Theologia 1. Concreata. 2. Intuitiva,  
qua Deum vident, non in cælis, sed in inferno, non ut beni-  
gnus patrem; sed ut iratum judicem, non cum gloriâ, sed cum  
ignominia & pœna. 3. Revelata. 4. Experimentalis.*

Concreata in Diabolis est Theologia, quia initio à Deo, æquè ac boni Angeli, ad imaginem ipsius creati sunt. Intuitivam etiam denegare ipsis non possumus: Deus enim cùm ubiq; sit, & omnia impleat Ier. 23. v. 25. Sap. 1. v. 7. utique etiam erit in inferno, quod testatur Psalmus 139. v. 8. &c Amos cap. 9. v. 2. ubi non quidem faciem misericordiæ & bonitatis; sed potius justitiæ ac severita-

tis ostendit, unde & de reprobis in igne æterno cruciandis dicitur 2. Thess. i. v. 9: quod judicio punientur perditionis quæ est in æternum à facie Domini nostri, & à gloria virtutis ejus. Revelatam mysteriorum Dei notitiam, non minus ac boni Angeli, & nos homines, ex verbo Dei procul dubio Diaboli etiam hauserunt. Specimen edit Tentator coram Filio Dei Matth. 4 v. 6. quo, se non mediocriter in S. litterarum lectione versatum esse, ostendit. Tandem, tā longam rerum experientiam ipsos etiam multa docuisse, quis dubitabit?

### THEOREMA XI.

*In Beatis excellens datur rerum divinarum notitia, que per claram visionem Dei fruuntur ad ipsius gloriam.*

Est hæc partim Mentalis & Interna, quā mens beatorum glorificata Deum corā intelligit, & ejus essentiam, majestatemque singulariter in cælo manifestatam clare perspicit ac cognoscit: partim Corporalis & Externa, quā oculi corporum glorificatorum divinitus illustrati Deum videbunt, videndo cognoscent, ex cognoscendo summè exhilarabuntur. Distinguitur autem beatorum notitia in Mentalem & Corporalem ideo, quia animæ piorum, simul ac ex corporum suorum ergastulis hinc demigrant, statim quidem beato illo Dei intuitu fruuntur in cælis, at non oculis corporeis; illi enim cùm ad corpus etiam pertineant, in cineres primū resolvuntur, siquidem corpus propter peccatum in terram revertitur, unde desumptum est Gen. 3. ver. 19. In die autem novissimo, quando animæ corporibus rursum jungentur, quando corruptibile induet incorruptibile, & mortale immortale, ut loquitur Apostolus 1 Cor. 15. v. 44. tūm demum sequetur corporalis illa visio, tūm beati in carne suā videbunt Deum, & oculi ipsorum eum adspicient Job. 19. v. 26. 27. Quare differt notitia illa mentalis à corporali tanquam antecedens à consequenti, illa præcedit, hæc consequetur.

### THEOREMA XII.

*Tandem Theologia hujus vita, vel hominum in hoc mundo  
vivere*

viventium nihil est aliud, quam rerum divinarum notitia  
cum humano genere in terris existente communicata. Hac  
itterum sub se continet species: nam Theologia viatorum di-  
viditur quadrifariam, 1. in Concretam. 2. Connatam. 3. Acqui-  
sam vel Experimentalem, & 4. Revelatam.

Concreta fuit insignis rerum divinarum notitia menti  
 $\pi\epsilon\omega\tau\pi\lambda\delta\sigma\nu$  ab ipso creatore impressa. Connata complectitur  
rudera illa divinæ imaginis, & communes notiones de Deo, e-  
iusque cultu, mentibus nostris in prima origine insculptas.  
Acquisita vel Experimentalis fit, cum homo ratione rectè utens ex  
creaturarum aspectu, & diligent consideratione quædam de  
Deo rebusque divinis cognoscit. Revelata est notitia rerum  
spiritualium divinitus & immediate patefactarum, ad veram  
Dei agnitionem, & salutis æternæ adoptionem. Species hæ ita  
se invicem consequuntur. Condidit initio Deus primos nostros  
Parentes ad imaginem suam, cuius imaginis divinæ pars fuit a-  
gnitio Dei Col. 3. v. 10. Postquam autem homo instinctu Diabo-  
li in peccatum incidit, imaginem divinam amisit, & genuit post-  
modum liberos, non ad Dei, sed ad suam imaginem Gen. 5. v. 7.  
cuius imaginis pars non postrema est error & cæcitas in mente.  
Exigua tamen imaginis divinæ mansête rudera, quæ vulgo  
appellantur notiæ naturales, ad quas si accedat diligens hu-  
jus universi contemplatio & consideratio fit acquisita & expe-  
rimentalis Dei notitia. Quoniam autem talis modi notitia  
ad salutem æternam consequendam nobis non sufficit, & ta-  
men Deus non vult, ut quisquam pereat Ezech. 33 v. 11. 2. Pet.  
3. v. 9. sed omnes ad agnitionem veritatis perveniant & seruen-  
tur, 1. Tim. 2. v. 4, ideo ex merâ gratiâ in verbo suo no-  
bis revelavit omnia quæcunque ad salutem scitu  
necessaria sunt, unde tandem revelata  
notitia emergit.

## THEOREMA XIII.

Communicat verò Deus nobis viatoribus sui notitiam; vel sine labore, & statim, vel per laborem, & paulatim, unde ulterius Theologia dispeccitur in Extraordinariam & Ordinariam.

Extraordinaria Theologia est notitia rerum spiritualium scitu ad salutem necessariorum per immediatam subitaneamq; illuminationem ac inspirationem Dei accepta. Ordinaria verò est notitia mysteriorum fidei diuturnâ religiosæ lectionis & meditationis exercitatione, aliisq; adminiculis accepta. Extraordinario modo notitiam rerum spiritualium consecuti sunt Apostoli Christi, quando Spiritus S. in die Pentecostes visibiliter super ipsos effusus est, & ita illos uno momento illuminavit ac informavit, ut variis linguis magnalia Dei effari, aliisque scripturas dextrè explicare potuerint. Acto. 2. v. 9. Hujusmodi autem extraordinaria Spiritus S. dona non est ut hisce temporibus expectemus, in Ecclesia Nov. T. plantanda fuerunt quidem necessaria, at nunc in Ecclesia per Dei gratiam plantata, & longè lateq; disseminata non item. Nostrum jam est, ut scrutemur Scripturas, juxta præceptum Christi Ioh. 5. v. 39. Mosen & Prophetas audiamus Lut. 16. v. 29. legem & testimonium pervolvamus Ies. 8. v. 20. interdiu ac noctu de lege Dei meditemur Psal. 1. v. 2. atq; adeò regulas à Syracuse cap. 39. nobis præscriptas diligenter observemus, & ita nobis divinam hanc scientiam comparemus.

## THEOREMA XIV.

Ordinaria Theologia consideratur vel Absolutè, ratione sui, & secundum perfectionem suam essentialē, abstrahendo ab individuis, quibus inexistit: vel Respectivè, ratione nostrum tūm quatenus est in animis piorum, tūm quatenus describitur in libris doctorum. Utraq; consideratio relativa est, & ὡραίεως respectum involvit: atq; binc iterum duplex emergit species, nempè Theologia Habitualis, vel in animo Theologi existens; & Theologia Systematica, vel libris comprehensa.

Hæ

Hæ sunt præcipuæ divisiones ac species Theologiae, quibus adhuc plures adjungunt Scholastici; qui distinguunt inter Theologiam Symbolicam & Demonstrantem, inter positivam, & Scholasticam, sed nos eas distinctiones tanquam ineptas & ficticias meritò repudiamus.

### THEOREMA XV.

*Theologiam Viatorum dari, hic tanquam certum presupponimus.*

Theologiam hominum in hoc mundo viventium ideo dicimus Theologiam Viatorum, quia in hoc mundo tanquam viatores sumus; peregrinantes sumus in hac terrâ. Psal. 119, v. 19. quamdiu in corpore manemus, peregrinamur à Domino 2. Cor. 5. v. 6. non habemus hic stabilem civitatem, sed futuram inquirimus Ebr. 13. v. 14. expectamus civitatem illam habentem fundamenta, cuius artifex & conditor est Deus Ebr. 11. v. 10. ubi verum nostrum est πολιτεία Phil. 3. v. 20.

Quæstio an  
detur Theo-  
logia via-  
torum.

### THEOREMA XVI.

*Ex abundanti contra quosvis dubitantes id probatur*

#### 1. *Dictis Scripturae.*

Hæc leguntur Deut. 4. v. 6. hæc est sapientia nostra & prudenteria ante oculos populorum Psal. 103. v. 7. Notas fecit vias suas Mosi, posteris Israelis actiones suas Psal. 147. v. 19. 20. Indicat verba sua Iacob, statuta & iura sua Israel. 1. Cor. 2. v. 5. Tit. 1. v. 1. 2. Iac. 3. v. 17. Jam si datur aliqua sapientia divina, aliis incognita, Dei populo nota, quod dicta ista innuunt; utique Theologiam dari ultrò consequitur, cum per istam nihil aliud intelligamus, quam sapientiam de Deo, rebusq; divinis.

### THEOREMA XVII.

2. *Testimonio Ecclesiae Catholice, que Theologiam esse agnoscit, & sibi de eâ gratulatur.*

Non entis nulla sunt accidentia, si itaque nulla daretur Theologia, quorsum sibi de eâ gratularetur Ecclesia? Nonne illa magnificat, & in oculis quasi gestat fideles doctores & sinceros Theologos? ubi autem nulla Theologia, ibi nulli etiam dantur Theologi, ut paulò post videbimus.

## THEOREMA XVIII.

3. *Consensu omnium popolorum, qui ex lumine natu-  
renorunt dari aliquam Dei notitiam, sicut ex eodem no-  
runt esse aliquem Deum.*

Etsi quidem salutarem Dei notitiam, quæ non nisi ex ver-  
bo revelato hauritur, non neverunt, eam tamen, quam lumen  
naturæ, & propria conscientia, de Dei justitia, bonitate, sapien-  
tiâ, potentia, ipsis dictavit notitiam, inficiari non potuerunt.  
Vide Clement. Alexandr. August. de C. D. Ludov. Viv. & Philip.  
Mornæum de Veritat. rel Christianæ.

## THEOREMA XIX.

4. *Certis rationibus, quarum hec tres hoc loco nobis suf-  
ficiunt.*

1. *Omnium eorum, quæ revera sunt, datur aliqua notitia; sed Deus re-  
veræ est. E. dabitur ejus notitia.*

Major patet, quia posito cognoscibili & cognoscente, po-  
nitur & sequitur etiam notitia. Minorem qui in dubium vocare  
voluerit, hominum numero merito eximendus erit.

2. *Omne bonum est communicativum sui; Deus autem est summè bo-  
num, & perfectam suipius habet notitiam, hanc ergo sine dubio cum hemi-  
nibus communicabit.*

Si enim non communicat, aut non vult, aut non potest  
communicare; si prius, arguendus erit invidiæ; & sic non erit  
summè bonus; si posterius, arguendus erit impotentiæ, & sic non  
erit omnipotens: utrumque longè absurdissimum est, itaque &  
illud non minori absurditate carebit.

3. *Deus tradidit suum verbum, in quo ejus essentia & voluntas descri-  
bitur, ergo ex verbo hauriri potest aliqua de Deo notitia, quam Theologiam  
vocabamus.*

Ex principiis facile eliciuntur conclusiones; sed verbum  
Dei datur, quo principia continentur; E. dantur & conclusiones.

## THEOREMA XX.

5. *Perspicuis Exemplis omnium Theologorum: si enim  
dantur Theologi, sequitur omnino dari & esse etiam aliquam  
Theologiam.*

Singulis



Singulis temporibus dantur Theologi, qui floruerunt vel antè lapsum, Adam & Eva, vel post lapsum, partim in V. partim in N. T. Theologi V. Test tempore Potestati Patriæ fuerunt Patriarchæ, tūm antè, tūm post diluvium. Tempore Potestati Iudicarie à Mo- se usque ad Saulem fuerunt Moses, Aaron, Sacerdotes, Levitæ, Prophetæ, & Judices ipsi tanquam custodes utriusq; tabulæ. Tem- pore Potestati Regie à Saule usque ad Esdram præcipui Theologi fuerunt David, Nathan, Elias, Elisaus, & Prophetæ 16, quorum scripta habemus, aliique Sacerdotes & Levitæ. Tempore Potesta- ti Sacerdotali & Ducali ab Esdra usque ad Christum fuerunt The- ologi Jabbus, Onias, Simon, Eleazar, & alii Sacerdotes. Theo- logi N. T. post caput & Archipræsulem Christum, vel sunt Pri- marii, ut 12. Apostoli, 70. Discipuli, 4. Evangelistæ: vel Secun- darii, quiq; partim Veteres, partim Neoterici; Veteres dividun- tur in Patres & Scholasticos. Neotericorum ætas à Luthero inci- pit, cuius ministerio lux Evangelii restituta est, post quem alios subinde eruditos Ecclesiæ suæ Christus præfecit Theologos, qui omnes, ut & præcedentes. suis exemplis, Theologiam esse, vel quandā de Deo notitiam dari, clarissimè attestantur. Apparet etiā ex hoc Theologorum catalogo, quam diligentem Deus Ecclesiæ suæ curam gerat, dum omnibus temporibus fideles ministros & Theologos mittit, qui hominibus rectam salutis viam monstrant, & in verâ religione informent. Sed satis de hac quæstione.

## THEOREMA XXI.

*De Genere Theologiae tria presupponimus:*

1. *Quod Theologia sit habitus animi, quia crebris compa- ratur actionibus, & mentem nostram constanter perficit.*
2. *Quod Theologia unus quo ad speciem sit habitus, quia unicum haber finem, nempe promotionem hominum ad salu- tem, & circa unicum versatur objectum, videlicet circa ve- ram religionem.*
3. *Quod Theologia non sit habitus Theoreticus: sed Pra- eticus, quenam in sola cognitione non acquiescit, sed cur et a dirigit ad praxin, quae est promotione hominum ad salutem æter- nam.*

Theo-



Theologiam habitum esse liquet, quia crebris auscultationibus, meditationibus, lectionibus, disputationibus, & id genus aliis exercitiis comparatur. Habitus autem cum distinguuntur in **Habitus Corporis & Animi**, non illius, sed hujus habitum esse dicimus, quia sedem suam in animo habet. Unum habitum, unamque disciplinam Theologiam esse negat quidem Durandus, nos contrà asserimus, cùm ab unitate objecti & finis habituum ac disciplinarum unitas pendeat. Denique Theologiam esse habitum mixtum putat *Alsted. ca. I. Lexici*, cum ducat ad cognitionem veri, & actionem boni, scientiam & conscientiam formet, *τὰ ὄντα καὶ δέοντα* monstrat. Verùm cùm finis Theologiæ sit unicus, unum etiam objectum, & quidem utrumque practicum, propriè loquendo Theologiam mixtam disciplinam esse dicere non possumus, quamvis enim in quorundam contemplatione occupata sit, in istâ tamen non acquiescit, sed dirigit eam ad suum finem, nempè ut per illam homines lapsi ad salutem æternam perducantur. Quemadmodum itaque Theoria quædam in omnibus disciplinis practicis præsupponitur, quæ tamen propter ea non dicuntur mixtae, ita nec Theologia, ob tam theoriam ad praxin directam, mixta rectè vocari potest.

## THEOREMA XXII.

Istis ita presuppositis duo asserimus:

1. *Quod Theologia per nullum habitum Philosophicum* qui recensentur 6. *Etb. cap. 3* tanquam per genus accuratum definiri possit, quandoquidem illa, & reliqua disciplina Philosophica toto genere differunt, ob diversitatem principiorum, finis, & objectorum.

2. *Quod Theologia vix dari queat aliud commodius, vel magis propinquum genus, quam habitus Γεόσδολος practicus.*

Quinque dicto loco è Philosopho numerantur habitus mentis principales, quorum tres sunt Theoretici, ut Intellectus, Scientia, Sapientia; duo Practici, ut Prudentia, & Ars. Quamvis autem ex horum numero accuratum Theologiæ genus desumendum esse plerique statuerunt Scholastici; malè tamen

id



id factum quia 1. Principia Theologiæ sunt oracula divina, habituum verò intellectualium principia sunt, vel per naturam nota; vel per discursum mentis collecta. 2. Quia finem Theologiæ, qui est promotio ad æternam salutem, nullus horum habituum intendit, 3. Quia Theologiæ objectum est vera religio supernaturalia mysteria & actus comprehendens; habitus a. illi, vel circa res naturales, ut Theoretici; vel circa hominum actus ex viribus humanis profluentes, ut practici, versantur. Quibus addi potest 4, quod fiat transitus eis à Λόγῳ χρόνῳ, quod est contra τέχνην παιδείαν si inter habitus Philosophicos Theologiæ genus querere velimus. Analogiam quandam inter Theologiam & habitus enumeratos quidem dari facile largimur; at non analogum, sed univocum genus inquirere nostri instituti fert ratio. Cùm verò omnis habitus vel sit ἐμφυτός sive connatus, vel ὀπίνητός sive acquisitus, vel Ἰερόσοτός sive divinitus datus, qualisnam Theologia sit, non immerito queritur: ἐμφυτόν habitum eam esse dicere non possumus, sicut enim, non nascuntur Christiani, inquit Tertullianus: neque ὀπίνητον propriè dictum, etiam si enim ad habitum Theologicum, comparandum diligens lectio & meditatione requiratur, principium tamen, ex quo & per quod addiscitur, uti & objectum circa quod versatur, planè divinum est. Relinquitur ergo, quod sit habitus Ἰερόσοτός, quoniam mysteria diuina complectitur, & non nisi in revelatione divinâ fundatur. Ad genus hoc magis restringendum additur in theoremate, quod sit habitus Ἰερόσοτός Practicus, siquidem objectum, & finis ejus in praxi consistit.

### THEOREMA XXIII.

*Causa efficiens Theologie nostræ est vel Principalis, vel Instrumentalis. Causa Principalis Theologie non est creatura, sed creator Deus, nimirum Pater in Filio per Spiritum S.*

Est autem Deus causa Theologiæ Efficiens 1. *Principalis*, quoniam primò, & suâ virtute nobis illam revelat, & communicat. 2. *Absoluta*, quoniam solâ vi suâ, sine aliâ adjuvante causâ, quod ipsum quidem attinet, istam revelat scientiam. 3. *Totâ*, quia Theologiam nostram non ex parte, sed ex toto nobis

C

tradi-

tradidit, adesque causa ejus totalis est, quoad essentiam, proprietates, & communicationem. Quemadmodum itaque Deus omnium bonorum causa, fons, & origo prima est, uti testatur Jacobus cap. i. v. 17. cui etiam, quicquid boni in nobis est, id omne acceptum referre debemus, Ies. 26. v. 12. ita etiam hujus boni præ reliquis longè eminentissimi causa est. Ut sine Sole nemo videre Solem potest, ita nec sine Deo quisquam Deum potest cognoscere.

#### THEOREMA XXIII.

*Causa instrumentalis Theologiae nostræ, vel prout ea nobiscum communicatur. gemina est; Inanimata vel Realis, & Animata, seu Personalis.*

*Inanimata seu Reali, iterum est vel Primaria, vel Secundaria. Primaria est unicum Dei verbum scriptum, ex quo credenda & agenda omnia, cœu ex medio in hunc finem communicato, unicè petenda sunt. Secundaria comprehendit scripta Ecclesiastica verba Dei confirmata: sunt illa, vel Symbolica & Universalia Formulæ Concordia inclusa; vel non Symbolica, & Particularia, quæ publicata vel à Patribus, vel à Recentioribus, & sunt scripta vel Didactica, ut sunt Catecheses, Institutiones, Loci Com. &c. vel Polemica, ut refutationes certorum adversariorum, vel Exegetica, ut Commentarii in Scripturam, parim universam, partim certos ejus libros.*

*Causa Instrumentalis Animata sunt Theologi, & ministri Ecclesiae, qui vel defuncti, vel vivi, quorum opera & fidele informatione Theologiam addiscimus.*

Deus immediate quidem nobiscum loqui, & voluntatem suam nobis revelare potuisset; sed ob timiditatem ac imbecillitatem nostram hoc facere noluit: quantus enim timor & tremor nos occupatus esset, si Deum coram loqui audiremus, patet exemplo Israelitarum, qui cum Deum in monte Sina loquentem audirent, trepidabant & dicebant ad Mosen, *loquere tu nobiscum, & audiemus, & ne loquatur nobiscum Deus, ne moriamur* Exod. 20. v. 19. quale exemplum etiam in Paulo habemus, qui ad vocem Domini humi-

ni humi prostratus est *Act. 9. v. 4.* Ideò Deus duplii hac causa intermediâ vel instrumentalî ad revelationem sui uti voluit, verbo nimirum, quod est verbum vitæ *Ioh. 6. v. 68.* per quod servamur *Act. 11. v. 14.* unde etiam reliqua Ecclesiastica scripta, tanquam rivuli ex fonte uberrimo, deducuntur; & officio fideliūm ministrorum, per quos Deus se manifestat *Os. 12. v. 11* qui sunt legati pro Christo *2. Cor. 5. v. 20.* dispensatores mysteriorum Dei *i. Cor. 4. v. 1.* ἡσήσασθε πάντα *i. Cor. 3. v. 9.* & omne consilium Dei nobis communicant. Sed & hic observandum est, quod verbum Dei, per quod nobis sui notitiam communicat, sit vel Externum, vel Internum: Internum, vel dormientibus est objectum; *Gen. 20. v. 6. cap. 31. v. 24. Num. 12. v. 6.* vel vigilantibus. Verbum, quod in vigiliis objiciebatur, siebat vel per Κυριακας μηδενι vel per ἐνστάσιν. Enthusiasmus erat, quando homines sine operatione Phantasias voluntatem Dei cognoscebant. Ecstasis, quando homines quasi extra se dimoti, aut extra corpus q. constituti, divinitus mysteria percipiebant, ut Paulus de se testatur *2. Cor. 12. v. 2.*

## THEOREMA XXV.

*Materiam ex qua propriè dicimus Theologiam nullam agnoscit: analogicè tamen principia & conclusiones, ex quibus illa constat, & quæ comprehendit, materia ejus ex qua nominiari possunt.*

Materiam ex quâ propriè dicimus illam, ex quæ res quædam, tanquam altero principio essentiali, conficitur; ut ex corio sit calceus, ex ligno mensa. Talis autem materia Theologiae assignari non potest, cum res hujusmodi corporea non sit.

## THEOREMA XXVI.

*Materia circa quam est gemina, Tractationis, & Operationis.*

*Materia circa quam tractationis, vel Objectum Theologiae est Religio vera, vel omnis res sacra & divina, quæ ad bonum salutem promovendam conducit.*

*Materia circa quam operationis Theologiae est homo  
Iesus, in quantum salvandus, vel ad salutem perducendus.*

Subjectum Tractationis Theologiae ideo tribuimus, quia in cognitione etiam, licet ad praxin directam, occupata est. propriè autem Subjectum Tractationis Scientiis competit. Ad vocabulum Religionis quod spectat, triplicem illud significationem habere notat Alsted. in Lex. ut 1. significet metum simpliciter. 2. Metum Dei, κατίσωμενοχλώ 3. Doctrinam de fide & vita hominum, quo in significatu nobis etiam hic sumitur. Derivat Tullius lib. 3. de Nat. Deor. à relegendō, quod religiosi omnia ad cultum divinum spectantia diligenter relegerent. Lactantius deducit à religando, quod cultores numini religet. Alii à relinquendo, quod religiosi relictis terrenis τῷ ἀνθρώπῳ quærant, juxta monitum Pauli Col. 3. v. 1. Nobis cùm de re certum sit, de vocabulo non adeò est disceptandum. Subjectum operationis Theologiae est homo, quatenus aëternū salvandus; Sicut subjectum Medicinæ etiam est homo, quatenus corporaliter sanandus, & Ethicæ quatenus moraliter beandus.

## THEOREMA XXVII.

*Materia in qua Theologiae, vel subjectum in hæsionis  
Quod est Theologus. Subjectum in hæsionis Quod est ipse  
Theologi intellectus, in quo baret, vel cui impressus est di-  
vinus habitus.*

Subjectum Quod alias Mediatum; Subjectum Quo Immediatum vocare solemus: Illi enim quando aliquid tribuitur, hoc fit mediante alio; huic autem, nullo alio mediante. Sic cum homo vulneratur, corpus vulneratur immediate, anima autem, quæ Spiritus est, & vulnerari in se nequit, mediately, mediante nimirum corpore, & sic vulnerationis subjectum Quo est corpus, ejusque certa quædam pars; subjectum Quod autem est totus homo corpore & anima tanquam partibus essentialibus constans.

THEO-

## THEOREMA XXVIIIE

*Uti non materiam ex quâ, ita nec Formam propriè dicetam agnoscit Theologia. Analogicè tamen Forma Theologie Systematicæ est apta præceptorum de rebus divinis comprehensio & dispositio.*

*Forma Theologie Habitualis est ipsa verorum conceptuum rebus divinis comprehensio & coordinatio.*

Accidentia materia & formâ propriè dictâ carent: cum itaque & Theologia sit accidens, igitur materiam & formam propriam ipsi assignare non possumus. Quemadmodum autem in præcedenti theoremate materiam quâdam analogicam dedimus, ita & hic formam damus analogicam. Quando autem Theologie systematicæ formam dicimus esse aptam præceptorum de rebus divinis dispositionem, diluimus hoc ipso criminationem Gregorii de Valentia, qui *tom. i. disp. i. q. i.* injustè nos accusat, quod methodicam docendi rationem in Theologiâ improbemus.

## THEOREMA XXIX.

*Finis Theologie non est Theoreticus, sed Practicus: Est q̄ vel Internus vel Externus.*

*Finis internus est deducetio hominum ad salutem, vel cura illa spiritualis circa hominum salutem impendenda.*

Finem Theologie Practicū esse supra etiam probatum dedimus: ulterius hoc probamus ita. 1. Qui finis est scripturæ divinitus inspiratæ, idem est etiam Theologie; sed finis Scripturæ est Practicus *Iohann. 20. v. ult. 2. Tim. 3. v. 15. 16. E. 2.* Qui finis est Theologi, idem est Theologie, sed finis Theologi est Practicus *1. Tim. 4. v. 16. E. 3.* Qui finis est fidei, idem & Theologie fidem docentis; at qui finis fidei est Practicus *1. Pet. 1. v. 9. E.* & finis Theologie Practicus est.

## THEOREMA XXX.

*Externus finis Theologie est vel Objectivus & Remotus; vel Formalis & Propinquus.*

*Finis Objectivus & Remotus est gloria Dei, ad quam  
omnia tendunt & tendere debent.*

Præceptum hoc dat Apostolus 1. Cor. 10. v. 31. & Col. 3. v. 17.  
ut omnia ad gloriam & honorem Dei dirigamus.

*Finis Formalis & Propinquus est eterna bonum beatitudo, vel beata Dei fruitio.*

Hunc finem etsi quidem Theologia non semper assequitur, culpa ramen non ipsi, sed potius hominum malitiæ & incredulitati adscribenda est.

### **THEOREMA XXXI.**

*& Ultimum.*

*Causis Theologiæ ita breviter enodatis, hanc eius exinde struimus definitionem.*

*Theologia est Habitus ḡεόσδοτος Practicus Dei auxilio ex verbo Dei comparatus, in mente Theologi existens; eumq[ue] dirigens, ut homines lapsos, per veram religionem perducat ad eternam beatitudinem.*

Definitio hæc perfecta est, constat enim genere, subiecto, & caussâ, eaque & efficiente, & finali, quæ ad perfectam accidentis definitionem requiruntur. Genus est Habitus ḡεόσδοτος Practicus. Subiectum intentionis est intellectus Theologi. Subiectum operationis sunt homines lapsi. Subiectum tractationis est vera religio. Gausta efficiens Principalis est Deus, instrumentalis est verbum Dei. Finis internus est ipsa productio ad salutem. Finis externus est ipsa actualis beatitudo, & Dei fructus, quam nobis omnibus & singulis, peracto humanæ vitæ curriculo, concedat Deus clementissimus.

*Cui soli sit gloria in sempiterna  
secula.*



05 A 02460

ULB Halle  
004 545 494

3



WDR





VIII  
S

PRÆCOGNITORUM THEO.  
LOGICORUM  
*DISPUTATIO VIII.*  
*De*

**THEOLOGIÆ  
APPELLATIONIBUS,  
SPECIEBUS, GENERE, CAU-  
SIS, & DEFINITIONE.**

Quam,

*Deo feliciter annuente*

SUB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI,

S. S. Theol. D. & Prof. Publ.

*Ad placidam suavitatem*

Proponit

M. JACOBUS STOLTERFOHT

LUBECENSIS.

*Habebitur in Auditorio Minoris*

*Die 22 Maii, Horis pomeridianis.*

---

Wittenberga, Typis Johannis Gormanni,  
anno M DC XXV.

Farbkarte #13

